

Indulgentia, cum & in Numo Elagabali fit: *Indulgentia Aug. in Carthag.* PUBL. Hilaria mihi maxima facis, tam elegantia Viri Summi acumina mihi enarrans, quæ sane animum excitant meum &, velut Mercurii Romani, in viis publicis positi, jucundisque versibus inscripti, fessam attentione mentem denuo instaurant.

DIALOGUS XII.

De modo, & ritu Sacrificiorum, & horum Exemplis.

TULLIUS.

I. **N**umini laudem, ac hostias deberi, omnes homines intellexerunt: non, quod is Deus non esset, quem nos talem non dicimus, sive quod nostris donis egeat ille, cujus munere nobis omnia veniunt: sed, ut esset modus, quo Deum se colere, unusquisque in conspectu Orbis publice profiteretur. Duo hæc officia cultus divini, Laudis videlicet, & oblationis, agnoverunt, & reddiderunt idololatræ. Quod autem caput est veræ Religionis, & Cultus princeps, nimirum obsequi Deo ejusque præceptis obedire, propriis vere cupiditatibus inordinatis, ac improbis constanter, ipsius causâ obniti, cæca gens illa & misera neutiquam sciivit. Obtulerunt igitur Sacrificia magno ritu, & nullo fine, i. e. absque numero: inter hæc tamen servierunt genio, & libere quantumlibet pravo affectui, quousque id leges civiles permetterent, indulserunt.

II. Cum vero summa in eis hoc pacto impuritas animi fuerit, corpore tamen puro esse, sacrificaturi studiose curabant: & quidquid sacrificiis adhiberetur, mundum esse nitidumque, quod ita Deos deceret, summa industria procurarunt.

Phra-

Phraſes Quiritum erant, *sacrificare, immolare, facere, operari*, dicebantque, *facere vitula pro frugibus*, i. e. ad exorandam agrorum fertilitatem; *propter viam*, nempe felicitis itineris cauſa &c. *Litare* plus dicebat, ita nimirum ſacris operari, ut placati Numinis certa indicia caperentur. Hinc illud *Plauti* jus jurandum :

Pœn. II.
42.

Tum me Jupiter faciat, ut ſemper *sacrificem*,
Et nunquam *litem*.

Augebantur tunc *Hostiæ*, ut ait *Gellius*, & ſi primis litatum non eſſet, aliæ poſt alias ductæ cædebantur : & quod lepidum, quando maſculis non fiebat, fœmineis tentabatur.

Noſt. At-
tic. L. IV.
c. 6.

Sacra ſuperis Diis facturus, uno ſaltem die ab Uxore ſe continere debuerat, toto corpore in flumine ablui, albis in veſtibus comparere, limina Templi oſculari, ante Idolum caput velare, manum ori admovere, proſterni, orationem, quam præibat Sacerdos, & quæ laudem Dei, precemque ſupplicis continebat, alta voce ſua tam exacte ſequi, ut ne iterula quidem falleret, ſi litare ſperaret, demum & vota precibus adnectere. Ante Sacerorum initium clamabat Præco facer : *Favete linguis* : item : *Procul hinc, procul eſte profani*. Quibus formulis jubebat ſilentium, aut ſaltem alia loqui, præterquam ſacra, vetabat. Quia tamen garrulorum voces, magna præſertim in turba, dumque ſacrificia publica fierent, hoc pacto contineri ſatis non poterant : inſuper Sacerdos, cum pueris Muſicis, quibus *Camillis* nomen erat, conſonantibus tibiis hymnos decantabant, ne Deus confabulantes audiret.

III.

Sacrificiorum tempus aptiſſimum, niſi alia obſtarent, cenſebantur horæ matutinæ : Sacerdos, & offerens, atque hoſtia, ſemper in orientem convertebantur. Pontifex tenebat Altaris cornua, illudque, ſicut & victimam, aut hoſtiam, vel oblata quælibet, *mola falſa*, i. e. farinula ſale mixta, conſperſit. Hac enim ſola initio adolebatur, donec faſtus cauſa, ut ſe divites præ pauperibus oſtentarent, victimæ grandes, cum thure, lacte, melle, oleo, vino affuſo ſuccederent. Quæ ambitio demum uſ-

IV.

que ad *Hecatomben*, i. e. centum boves, & apud Imperatores etiam ad leones, Aquilasque centum excrevit: uti *Plutarchus* de *Mario*, & *Jul. Capitolinus* de *Imp. Pupieno & Balbino* tradiderunt. Hæc tibi compendio præfari libuit ex *Acerra Nov. Philologica* mihi semper laudanda, ubi cuncta testimoniis clarissimis illustrantur. Nam & *Numi*, qui *Sacrificia* referunt, nonnulla ex his ritibus exhibent, atque confirmant.

Part. I. p.
145. fqq.
& II. p.
506. &c.

V. *PUBL.* Primum *Sacrificulum*, eumque *Augustum*, redhibet apud me *Numus æreus medius*, quem *Tabulæ tuæ Ildæ loco decimo* pinxisti. Stat in eo *Helvius Pertinax* Imperator, cujus caput laureatum est in *Adversa*, totus velatus, ac in *albis*, laurea tamen & hic cinctus, ad aram ardentem, cum *patera*, vultu in cælum converso. Pone: *S. C. Epigraphe circum: VOTA DECEN.nalia. TR.ibunū P.otestate COS.ul II.dum. TULL.* Pinxit hunc *Numum* etiam *Cl. Patinus* *Imp. p. 217.* & *Argelatus* eundem in *Mediobarbo* aliquoties, modulo semper in minutis differente, allegat. *Sacrificium*, & *vota* quod attinet, cum *Decennalia*, proinde imperii sint, eadem *Helvius* hic nuncupasse censendus est, non soluturus, quoniam exacto tertio mense occisus jam fuit. Ait quidem de eo *Capitolinus*: „His horis, quibus ille in „capitolium *vota solvebat*, primus sane omnium ea die, qua „*Augustus* est appellatus, etiam *Patris Patriæ* nomen recepit &c.“ Verumtamen huic *Scriptori*, aliena mente, *solvebat* pro nuncupabat, in *calamum* irrepfit, vel de aliis anterioribus ejus votis, non *Augustis*, loquebatur. Idem porro inferius refert. „Cum apud *Lares* sacrificaret (ea ipsa nimirum die, qua occi- „debatur) *carbones* vivacissimi extincti sunt, cum inflammari „soleant: & ut supra dictum est, cor, & caput in *hostiis* non est repertum.“ *Discis* ex hoc loco, quam superstitiose *Romani* ad singula in *Sacrificiis* attenderent, & ex quibuslibet fortuito accidentibus omina caperent.

VI. *PUBL.* *Numus* tuus undecimus est *Imperatoris Valeriani* apud me *argenteus*: in cujus *Aversa* tam ipse cum *Sceptro*, cui *Aquila* insidet, quam *Galenus* *Filius* cum *Sceptro* militari, uterque corpore, *Pater* etiam capite velato, ad aram accensam pateris libant: desuper *Stella* micat, forte *Solis* & *Apollinis* locum subiens. *Circum: P.ETAS AUGG.ustorum.* *Infra: S. C. TULL.* Stel-

TAB. II.
N. XI.

Stellam Cl. *Harduinus* plerumque Solem interpretatur, & Symbolum Imperii, Orbi dominantis. Cl. *Jobertus* Imperatorum quandoque filios defunctos imagine Siderum, quibus recepti sunt, exprimi tradidit. Ambæ autem opiniones nihil certi de hoc Numo tuo statui sinunt. *PUBL.* Pertinere huc reor & alium e Numis meis argenteum, cum capite fœmineo, & nomine: JULIA AUGUSTA: quæ fuerat *Severi* conjux. In Aversa ad aram ardentem stat fœmina, utroque brachio in cœlum expanso, quo & vultum intendit. Epigraphæ: PIETAS. Abest hostia, forte jam igne absumta: ara tamen Sacrificium innuit. *TULL.* Recte hanc symbolam tuam præsens in argumentum contulisti. Preces namque, vota nuncupata, i. e. primum concepta, vel soluta, h. e. actu præstita, thus præterea, & hostia, sunt Sacrificii partes.

PUBL. Majore cum Numo, & nobiliore jam prodeo, aëreo illo primæ magnitudinis, qui templum una cum Sacrificio refert, & utraque sui parte a te pictus comparet numero XII. ac XIII. In Adversa sedet fœmina, integre velata, cum patera, lævo cubito supra puerulum innixa, nisi hæc imaguncula sit sculptum sellæ fulcrum, & ornamentum. Pone scribitur: PIETAS: item: S. C. Circum lego: G. *ajus* CÆSAR DIVI AUG. *usti* PRON. *e*-*post* AUG. *ustus* P. *ontif.* M. *aximus* TR. *ibunit.* P. *ot.* III. P. *at.* P. *atriæ.* Aversa retro templum splendidum habet, illudque hexastilon, sive sex columnarum, statuis multis, & in apice. ut videtur, quadriga triumphali ornatum. Ante illud Imperator laureatus, velato capite, ac corpore, tanquam Pontifex, ad aram ardentem cum patera libat, adstante victimario cum tauro, alioque assistente. Infra scribitur: DIV. *o* AUG. *usto.* *TULL.* Huic Numo tuo, quales rari tironibus obtingunt, probitas pariter, & integritas desunt. Manus enim recentioris cum sit, vitio tamen vetustatis nihilominus laborat. Venustius longe, & exactius pinxit hunc Numum *Aeneas Vicus* aere Caligulæ 5. & 6to, Aliquoties pariter eundem descripsit *Argelatus*: ubique vero nomen PIETAS non pone Deam sedentem, sed infra notatur. Similiter in Aversa voces DIVO AUG. non infra, sed pone templum hinc & inde, unacum S. C. describuntur. Columnæ quoque fertis pensilibus apud *Vicum* ornantur.

VII.
TAB. II.
N. XII. ca
XIII.

VIII.

PUBL. Cui facultas non est, probos rarosque semper Numos cpmparandi, cum primis vero tironi, eruditionem duntaxat cupienti, satis esse debet rei speciem utcumque haurire, & singula saltem, quæ sunt in insigni aliquo Numo, tam imagines, quam verba intueri: tametsi ars fingentis, aut pingentis, imitando aliquousque nonnihil positione aberraverit: modo contra historiam additum nihil, nihilque detractum sit. *TULL.* Consulis inopiæ tuæ, qua plures tecum laborant, quin velint propterea ignorantiam fovere. *Cajus* porro Sacrificium istud *Augusto*, Proavo suo fecit, Templo ejusdem à se perfecto, ac dedicato. „ Opera namque (ait *Suetonius*) sub Tiberio imperfecta, „ *Templum Augusti*, Theatrumque Pompeii absolvit,

In Calig.
c. 21.

IX.

TAB. II.
N. XIV.

PUBL. Numus decimusquartus Templum habet rotundum cum simulacro Vestæ, ut puto, quoniam Aram, ante illud positam, sex fœminæ, quas totidem Virgines Vestales esse arbitror, circumstant, citra epigraphen. *TULL.* Haud falleris. Medallionem hunc elegantissimum, qui est *Lucilla*, conjugis *Lucii Veri*, tota sua magnitudine exhibuit Ill. *Spanhemius* II. p. 647. & advertit, hoc Templum delicatæ satis, tenuis, atque Corinthiæ structuræ existere, juxta illud *Viruvii* de Generibus Aedificiorum. „ Tertium vero, quod Corinthium dicitur, Virginalis habet gracilitatis imitationem. „ Addit insuper, hanc Aram haud multum elatam esse, sed humiliorem, tanquam Terræ, quæ sub *Vesta* colebatur, propinquam. Sed in his Veterum religio absque religione fuit, pro libitu morem servans, & negligens: uti sub unius Dei Nomine naturas, & res oppido diversas ratione semper fluctuante, coluerunt. Sic *Vesta* illis jam Terra, jam *Ignis* fuit. Sunt porro apud laudatum Ill. Virum l. c. tam anterioribus, quam posterioribus in paginis, plurimi Numi, ex medallionibus plerumque excepti, cum varia Templorum sane magnificentorum, ac perelegantium formâ. E quibus tandem de splendore, & munificentia, tam Græca, quam Romana, suos in Deos, rite arbitrari licet.

X.

TAB. II.
N. XV.

PUBL. Numus decimus quintus absque Victima, vel hostia, Sacrum exhibet, libatione duntaxat, & oratione peractum. Aræ etenim ardenti, & humiliori, Pontifex, ut videtur velatus, ac olea cinctus, patera liquorem affundit. Post aram stat fœmi-

na

na velato capite , cum libro , unde preces prælegere videtur : Fœmina alia de genu ad aram supplicat. Epigraphe : SACRA ROMANA RESTITUTA. Infra : S. C. Anne & hic *Vesta* cultus proponitur ? TULL. Arbitrari sic interim licet. Selegi tibi hunc Numum ex iis , quos vir olim eleganter græce ac latine doctus *Joann. Sambucus* Tirnaviensis Pannonius , Consiliarius & Historiographus Cæsareus , vita functus An. 1584. in calce emblematum suorum , Antuerp. in 8. An. 1566. vulgatorum , adjecit , ubi exstat p. 247. in quo tamen ipse nihil exposuit. Adversa ejus Caput *Hadriani* Augusti refert. Commemoratur a *Spanhemio* II. p. 527. pariterque laudatur ab *Argelato* , ut proinde sublestus censeri non debeat. Epigraphen ejus forsitan illustrare potest , quod apud *spartianum* de *Hadriano* traditur : „ SACRA ROMANA di- „ ligentissime curavit : peregrina contempsit. Pontificis Maximi „ Officium peregit. ,

III. *Spanhemius* , unde supra p. 644. præclarissimus edidit Medallionem e Gaza Regia Gallica , qui est *Commodi* Imperatoris. Adversam ornat Caput laureatum , ac barbatum Jovis Capitolinis : infra legitur : J. ovi O. primo M. aximo. In Aversa Templum hexastilon est , ante quod ara tripes , cum Imperatore , aut Pontifice alio libante , aliis quatuor sibi assistentibus. Ex opposito Victimarius unus taurum ducit , alter malleum ad ejus eadem librat : post eos tubicen tibiam inflat , adstat præterea puer cantor *Camillus* , novem in universum personæ. Infra lego : VOTA PUBLICA.

Adhæc *D. Grosseus de Bose* in Dissertat. de Cultu Salutis Deæ pinxit ejusdem *Commodi* Numum Æreum , & magnum : in cujus Aversa ipse ad aram ardentem stans , dextra pateram , læva Serpentem gestat , tesseram Salutis Deæ. Ante ipsum genuflectens unus taurum laqueo retinet , Victimario securim ad ictum libran- te , ac tibicine ludente. Circumscribitur : VOTA SOL. uta PRO SAL. ute P. opuli R. omani. Tum residui Tituli : COS. VII. P. P. Infra S. C. Causam horum Votorum *commodianorum* , tam *Publicorum* , ut in superiore Numo dicuntur , quam pro *Salute Pop. Romani* , ut hic , facile liquere ait *D. Bose* : cum sub ejus Imperio Italiam totam acerbissima pestis corripuerit. Mirum tamen videri , ait , si *Commodus* Populi salutem curaverit , cum

XI.

XII.

In Electis
Rei Num.
mar. Tab.
II. n. 12.

Se.

Senatum Populumque , non aliter , ac ut Servos habuerit , Romanamque ipsam , *Lampridio* teste , nil nisi *Coloniam commodianam* appellaverit.

XIII.

PUBL. Disco egregiis his e Speciminibus , & exemplis , quæ attulisti , Sacrificiorum titulos pariter , ac typos maxime varios præstantioribus in Numis comparere , præterea vero complures Ritus , quos mihi supra exposueras , in eisdem præfenti quasi oculo posse hauriri. Id , quod Scriptoribus veteribus , eisdem tradentibus , plurimam fidem conciliat , insigni documento , quantum Numi ad Historiam valeant. *TULL.* Hoc est , quod Viros doctos , deinde & opulentiores , cum primis vero Principes , tandem impulit ad Numorum veterum thesauros , novis quodammodo thesauris , munificentissime expensis , ex omni terrarum parte conquirendos. Ita factum est , ut Imperii Romani veteris facies magna jam parte nobis cognita evaserit , quamquam res ejus parte maxima etiamnum nos lateant.

DIALOGUS XIII.

De Lectisterniis , Thenfis , & Carpentis.

PUBLIUS.

I.
TAB II.
N. XVI.
& XVII.

Numi XVI. ac XVII.^{mus} , nulla uterque epigraphe Lectisternia tamen Dearum , ex iis , quæ supra dixeras , dum de septemviris Epulonum differeres , facile mihi videntur. Ubique Dea in lecto residet : quamvis ibidem docueris me , Sellisternia Deabus apparatus fuisse. In primo quidem Areo medio *Neronis* , ac meo , Dea salus confidet patera serpentem suum cibans. Jucundo id festo aliquo factum esse , puerulus indicare videtur , qui retro Lectum cum Ramo
pi-